



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilivm Constantinopolitanvm Svb Anastasio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO CHRISTI 399.

Si ecclesia venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta; commissum quinque librarum auri (sic etiam prius constitutum est) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra ecclesias vel clericos per obreptionem, vel ab hereticis, vel ab huiusmodi hominibus fuerit contra leges impetratum, huius sanctionis auctoritate vacuamus. Data VII. Kalendas Iulii Brixia, Theodoro V. C. consule.

Extat l. 34. de episc. & clericis. C. Theod. Baron. ann. 399. nu. vlt.

CONCILIVM
CONSTANTINOPOLITANVM
SVB ANASTASIO.

NOTA.

ANNO CHRISTI 400.

Concilium Constantinopolitanum.] Anno Domini 400. Anastasii 3. Arcadii & Honorii 6. Constantinopoli ecclesiasticarum necessitatum gratia viginti duo Asiae episcopi conuenerunt, & hanc Synodum ibidem celebrarunt, in qua ab Eusebio Valentinianopolitano episcopo accusatus est Antoninus Ephesi episcopus de septem criminibus, & maxime de simoniacis ordinationibus; de quibus haec Palladius in vita Chrysof. Tertiadecima distributione (id est, indictione) venerunt Constantinopolim Asiae episcopi, necessitatum ecclesiasticarum gratia: nobiscum remorati sunt praesentibus & aliis episcopis, ex Scythia quidem Theotimo, ex Thracia vero Ammone Aegypto, & ex Galatia Arabiano, metropolitans omnibus ac senibus, qui viginti duorum implebant numerum. Conuenientibus autem omnibus & communicantibus, obseruato Eusebio quidam Valentinianopolitanus episcopus congregato Concilio, vna sabbati astitit, libellosque tradidit Synodo, praeposito (ut decuit) Ioannis nomine, contra Antoninum episcopum Ephesi septem capitula continentes: vnum quidem, quod suis sacris vasis, argentum in nomine filii deposuerat. Secundum, quod sumptum de ingressu baptisterii marmor in suo balneo posuit. Deinde columnas ecclesiae plures annos iacentes intra suum erexit triclinium. Quartum, quod puer eius homicidium perpetravit, quem habet in ministerio irreprehensum. Quintum, quod praedia relictia ecclesiae a Basilissa imperatoris Iuliani matre vendidit, sibi que detinuit precium. Sextum, quod cum uxori propria abrenuntiasset, rursus illi congressus est, filiosque ex ea procreauit. Septimum vero accusationis caput, quod pro lege atque decreto habet, ordinationes episcoporum vendere pro modo reddituum: adsuntque & qui dederunt & ordinati sunt, & ipse qui accepit. Eorumque omnium probationes se habere asserbat. Hoc iudicium cum ob testium absentiam agi non potuisset, mortuo interim Ephesi episcopo, ad petitionem cleri Ephesini cum Ioanne Chrysofomo 70. episcopi Asiae Ephesum conuenerunt, ibique in locum demortui episcopi Ephesini Heraclidem dia-

Tempus & locus Concilii. Numerus episcoporum.

Causa & acta Concilii.

Ephesina Synodus 70. episcoporum.

conum elegerunt, & iudicium defuncti Constantinopoli inchoatum hic aboluerunt, sexque episcopos per simoniam ab ipso ordinatos deposuerunt. Hæc Palladius in vita Chrysof. Socrates lib. 6. cap. 10. Sozom. lib. 8. cap. 6. Vide Baron. anno 400. numero 73. & sequentibus.

^a CONCILIVM TOLETANVM ^b I.

^c NOVEMDECIM EPISCOPORVM,
tempore Anastasii, Honorii & Arcadii, ^d Stilicone consule habitum, æra 438. anno Domini 400. Patrono episcopo præfidente, sub die septimo Idus Septembris.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|--|
| I. De presbyteris & diaconibus, si post ordinationē filios genuerint. | XII. Vt nullus clericus de episcopo suo recedat, & ad alium se transferat. |
| II. Vt pœnitentes, si necessitas cogat, lectores aut ostiarii fiant. | XIII. De his qui in ecclesiam intrant, & non communicant, ut excommunicentur. |
| III. De his qui viduas acceperint, ne diacones efficiantur. | XIV. De eo qui acceperit eucharistiam, & non * sumpserit, ut sa-
crilegus repellatur. |
| IV. Vt subdiaconus, si defuncta uxore aliã duxerit, ostiarius fiat. | XV. De his qui excommunicantur a sacerdotibus, ut nullus ad eos accedat. |
| V. Vt cuiuslibet ordinis clericus, si ad ecclesiam non venerit, deponatur. | XVI. Deuota si adulterauerit, decem annos pœniteat; si maritum duxerit, non permitendam ad pœnitentiam, nisi maritus decesserit. |
| VI. Vt religiosa puella virorum familiaritatem non habeat. | XVII. De eo qui uxorem habet, si concubinam habuerit, ut non communicet. |
| VII. Vt clericus, cuius uxor peccauerit, præter necem, potestatem habeat distringendi eam, & cum ea cibum non sumat. | XVIII. Si sacerdotis vidua, vel Leuita, maritum acceperit, nisi finem tantum communionem accipiat. |
| VIII. De eo qui post baptismum militauerit, ut ad * diaconum non promoueat. | XIX. Si sacerdotis vel diaconi filia religiosa peccauerit, nisi tantum communionem accipiat. |
| IX. Vt nulla professa vel vidua, absente sacerdote, in domo sua sacerdotale officium vel lucernale impleat. | XX. Vt præter episcopum, nullus chrisma conficiat. |
| X. Vt nullus obligatum cuiquam, absque consensu domini vel patroni, clericum faciat. | XXI. De regulis fidei catholica contra Priscillianos. |
| XI. Vt si quis potentium quemlibet spoliauerit, & admonente episcopo non reddiderit, excommunicetur. | |

* diaconum
INTI

CON-